



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

117. Quænam pars Officij omissa à Beneficiario sit levis, ut non obliget ad restitutionem, etiam si fructus respondententes illi parti omissæ sint magnæ & notabilis quantitatis? Et an si pars fructuum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

Contradicit Pio V. qui in Bulla pro qualibet die, & pro qualibet hora restitutionem fieri præcepit. Neque obstat famulum omitterentem vno, vel altero die in anno debitum seruitium, præsumi à domino exemptum esse ab obligatione restitutionis ex quadam benigna congruitate, ne videatur dominus rigidus exactor, quominus dicamus omitterentem recitationem obligatum non esse restituere, quia in hoc casu expressit suam voluntatem dominus, scilicet Ecclesia. Dum autem hanc voluntatem satis non expressisset, poterat illud præsumi. Quapropter Menochius *lib. 2. cas. 429. n. 9. & 10.* etsi attentata dispositione Concilij Lateranensis affirmet Clericum non recitantem vno, vel altero die, obligatum non esse restituere, negat tamen attentata constitutione Pij V. vide etiam Syl-  
 Quæ hic est Ref. antecessens.

antè absolute docuerat Pet. Moneta *tract. de distribut. part. 2. c. 3. n. 22.* vbi sic ait. Optimè Nauarrus inferit, non satisfacere præcepto recitandi Horas eos, qui dicunt cantant, aut recitant, omitterunt tantam partem versuum, vel Psalmorum, etiam, deglutendo, corrumpendo, vel syncopando verba, vel syllabas, vt ex ita omiſſis, vel corruptis fiat notabilis pars. Quod tamen intelligendum est, non de omnibus Horis simul sed de singulis Horis; nam quod in vna Hora omittitur, non est cum eo, quod in altera omittitur computandum, ad constituendam notabilem partem, cum quælibet Hora vnum totum integrum, & perfectum per se constituit. Ita Moneta. Qui etiam *n. 42.* cum Bonacina *ubi supra n. 12.* liberat ab onere restitutionis distributionum, non solum cum, qui ad Chorum accedit post primum Psalmum, seu post primum Hymnum, iuxta Ecclesiarum consuetudinem, verum etiam, qui præter hanc partem reliquerit recitare aliam partem, quæ non attingat materiam notabilem, iuxta Doctorem sententiam, de qua materia notabili nos supra diximus; quæ sunt valde notanda à confessorijs, vt in praxi sæpius occurrunt.

RESOL. CXVII.

Quam pars officij omiſſa à Beneficiario sit leuis, vt non obliget ad restitutionem, etiamsi fructus respondentes illi parti omiſſe sint magna, & notabilis quantitas.

Et an si pars fructuum correspondens sit tam parua, vt non pertingat ad peccatum mortale in materia furti, teneatur illam restituere sub mortali?

Et an, qui eodem die in singulis Horis paucos versiculos omiſit, qui simul sumpti grauem, & notabilem materiam constituunt, teneatur ad restitutionem?

Ex quo inferitur non satisfacere præcepto recitandi Horas eos, qui dum cantant, aut recitant, omitterunt tantam partem versuum, vel Psalmorum, etiam deglutendo, corrumpendo, vel syncopando verba, vel syllabas, vt ex ita omiſſis, vel corruptis fiat notabilis pars.

Quod autem intelligendum est non de omnibus Horis simul, sed de singulis Horis.

Et an liberetur ab onere distributionum restitutionis ille, qui accedit ad Chorum non solum post primum Psalmum, verum etiam, qui propter hanc partem reliquerit recitare aliam, quæ non attingit ad materiam notabilem? Ex part. 2. tr. 12. Ref. 26.

RESOL. CXVIII.

An Beneficiarius, qui non recitauit Laudes teneatur ad aliquam restitutionem.

Et an infirmus, qui prauidet post presidium ex se fore impedendum a recitatione vesperarum, teneatur illas mane recitare?

Sed ex doctrina huius Resolutionis inferitur, an Laudes sint Hora separata, vel pars Hora, nempe Matutini? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 46.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Castrus *sup. h. n. 1.* Palanus *tom. 2. tract. 7. disp. 2. punct. 7. n. 5.* & in terminis Oluerius Bonartius *de Horis Canonice, lib. 2. cap. 10. n. 12.* vbi sic ait. Censeo nihil fructuum necellarid tribuendum pauperibus ratione partis Horarum omiſſæ quantumuis magna, & sufficientis ad materiam peccati mortalis, nisi pro omiſſis laudibus. Ita ille. Et à fortiori hanc sententiam docet Suarez *de Religione, tom. 2. lib. 4. c. 30. n. 13.* & ius castrus *de Horis Canonice, lib. 2. q. 286.* asserentes Beneficiarium teneri ad restitutionem, quoties peccatum mortale committitur in omiſſione alicuius partis notabilis vnius horæ, modò illi parti tanta pars fructuum respondeat, quæ furto sublata culpam mortalem constitueret. Probatur etiam hæc opinio ex auctoritate Doctorem dicentium Laudes esse Horam separata ab alijs. Ita Nauarrus *de orat. cap. 3. n. 17. & 28.* Archidiaconus in *c. Presbyter dist. 91. D. Antonin. in 3. part. tit. 10. §. 4.* & alij. Vnde Laudes differre à Nocturnis patet, tum quòd eas nouo aris campani pulſu inchoamus, & earum initio præponimus versum, *Deus in adiutorium meum intende,* vt in alijs horis, habent proprium Capitulum, Hymnum, &c. Tum quòd nocte Natalis Domini Nocturni finiuntur, & Missa inter Laudes, & Nocturnos interponitur; tum quòd olim Laudes à Nocturnis tempore diuidebantur, cum illi canerentur in prioribus noctis vigilijs, hæc verò in vigilia matutina.

2. His tamen non obstantibus (attendas quæſo amice Lector de hoc casu interrogatus ab Eminentiſſimo Cardinali Oregio, viro doctiſſimo, & integerrimo, pro contraria sententiâ probabiliter, ni fallor hæc adduxi ratione. Bulla Pij V. quæ onus restitutionis in omiſſione recitationis Officij imponit, loquitur solum de Horis integris, vt legitur patet, ergo non debet vt lex pœnalis ad earum partes extendi, sed suis terminis arctari. Cum igitur Laudes non sint Hora separata,

Sup. hoc supra in fine, Ref. 114. & in Ref. 81. §. Dico eursim in fine, & vt magis clarescat solutio huius diffi. lege infra doctrinam Ref. 119. & aliarum eius primæ annot.

Et pro contento in hoc §. huius Ref. in Ref. seq. §. 1. à lin. 8. vers. Et a fortiori, &c. Et pro contento in hoc vlt. §. Notandum est, supra in Ref. 114. §. vlt. in principio, & infra in Ref. 120. §. Idem, post mediū, à vers. non-

§. 1. Circa hoc mihi summopere placet sententia Vinc. Filliucij *tom. 2. tract. 23. c. 10. n. 219.* dum asserit, pro omiſſione minori, quam vnius Horæ integræ, non esse aliquid restituendum: potest igitur beneficiarius peccare mortaliter, omittendo dimidiam Horam, sed non teneri ad restitutionem. Idem dici potest de Matutino proportionaliter. Reginaldus verò *lib. 30. tr. 3. c. 4. n. 44.* ex Suarez, putat omiſſionem, quæ in recitatione Officij constituit peccatum mortale, obligare ad restitutionem. Sed tunc tene sententiam Filliucij, etiamsi fructus respondentes illi parti omiſſæ, sint magnæ, & notabilis quantitas.

2. Nota etiam, quòd si beneficiarius omittat partem notabilem Officij, si pars fructuum correspondens sit tam parua, vt non pertingat ad peccatum mortale in materia furti, tunc vtique beneficiarius non tenebitur illam sub mortali restituere.

3. Notandum est etiam, Martinum Bonacinam *tract. de Horis Canonice, disp. 1. q. 5. punct. 2. n. 15.* docere, non esse improbabilem opinionem asserentem, quòd qui eodem die in singulis Horis paucos versiculos omiſit, qui simul sumpti grauem, & notabilem materiam constituunt, non teneatur ad restitutionem. Et ratio est, quia lex definit obligationem restituendi pro singularum Horarum omiſſione. Et licet ipse respondeat ad hoc argumentum tamen, vt dixi, hanc sententiam probabilem esse existimat, quam